

v. duplex, aut 2, 6, 8, v. numerosa, sessilia aut pedicellata, corpori immediate, aut mediante lamella inserta. *Caput* corpore continuum v. subdiscretum, nudum, rarius limbo reniformi echinato cinctum, aut bothriis 2¹⁾ marginalibus v. acetabulis 2 lateralibus, illis corporis minoribus, instructum. *Os* terminale v. subterminale, rarissime subcentrale (*Gasterostomum* et *Rhipidocotyle*), ut plurimum acetabuliforme. *Tentacula* nulla, rarius 2, v. 4. *Ocelli* nulli (v. solummodo in prima aetate), aut 4 (simul in adultis). *Tractus intestinalis* bicurvis, rarius unicurvis, simplex v. ramosus, coecus. *Systema vasorum* duplex, humore limpido scatens, alterum secretorium, alterum excretorium, poro excretorio in multis observato. *Systema gangliorum* et fila nervea in paucis cognita. *Androgyna* s. monoica, aperturis genitalibus ventralibus juxtapositis v. postpositis, aut marginalibus; *autogama* aut *enallelogama* (*Diporpa* et *Diplozoon*), paucissima *dioica* (*Dist. Okenii* et *Gynaecophorus haematobius*); rarissime *agama* (*Gyrodactylus*). *Penis* filiformis retractilis, nudus v. vaginatus; *testiculi* duo, rarissime unicus; *ovaria* duo. *Ovipara*, rarissime *gemmaipara* (*Gyrodactylus*). — Propagationis modus duplex, unus immediatus, alter per *metagenesin* s. generationem alternantem. — Animalium praesertim vertebratorum endo-, aut ectoparasita.

Quibus propagationis modus est immediatus, animalcula ovulo exclusa metamorphosi aut nullae, aut rarius incompletae sunt subjecta. Larvae illorum, quae metamorphosim incompletam subeunt, sunt animalcula agama, materno similia, simplicia, nec duplicia, nec plectanis 8, sed solummodo 2 instructa; animalium perfectorum in morem piscium fluviatilium ectoparasita 2).

In Trematodis contra, quae propagatione metagenetica gaudent et quidem in illis, quorum larvae cauda una instructae sunt (s. *monocercis*) 3) animalculi evolutio ex embryone, dum ovulo excluditur infusoriiformi, per formas transitorias s. altrices; in illis vero, per quorum larvae caudiculis duabus praeditae sunt (s. *dicercis*) 4), evolutio per sponemata, incerti originis, in larvas tandemque in animalcula perfecta absolvitur.

Atrices sunt: aut *sporotheria* (*Rediae Filippi*) s. animalcula agama, ore, bulbo oesophageo, tractu cibario simplici coeco et vasis instructa, sporulas et larvas cauda dejectili praeditas (*Cercarias* A u c t.), rarius *sporotheria* juniora ineludentia, per metagenesin ex embryone orta; aut *utriculi clausi*, nec ore, nec tractu cibario instructi, per metamorphosin ex embryone orti, *nunc simplices*,

1) *Bothrium*: (Sauggrube): est organon adhaesionis acetabulo simile, sed diametro longitudinali aut transversali altero longiore.

2) *Diporpa*, *Diplozoon* (?).

3) *Monostomi*, *Distomi* et *Diplodisci* species nonnullae.

4) Status perfectus larvarum dicercarum adhuc non satis notus.